



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

5 Qua ratione peccatum mortale à veniali differat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

PUNCTUM V.

Qua ratione peccatum mortale à veniali differat.

- 1 Declaratur in quo conveniant, & in quo differant.
- 2 Expenditur an veniale peccatum prius gloria pro aliquo determinato tempore.
- 3 Proponitur quaedam obiectio adversus supradicta, & solvitur.
- 4 Peccatum ex genere suo mortale aliquando potest esse veniale.

1 **N**on differunt formaliter ex obiecto, cum utrumque rationi naturali, & legi diuinæ aduertitur, ac prout esse possunt, etiam in genere moris eiusdem speciei, ut bene probat Sala, 2. tract. 13, disp. 16, sect. 21. Valquez disp. 144, cap. 2, & 3, Valent. disp. 6, quest. 2, p. 2, & quest. 18, p. 2. differunt tamen ex modo tendendi in obiectum, quia veniale leuiter aduertitur rationi naturali, & legi diuinæ, mortale grauius: in effectibus autem maximè differunt, quia mortale destruit amicitiam Dei, secus veniale; mortale meretur carentiam perpetuam diuinæ visionis, & poenam inferni, veniale autem minimè, sed solum aliquam poenam temporalem.

2 An vero veniale mereatur carentiam diuinæ visionis pro aliquo tempore breui? Quæstio videtur de nomine, certum enim est existentem in peccato veniali exclusum esse à diuina visione, quousque illius poeniteat, vel pro illo satisfaciatur, quia nihil conquinatum in illam ciuitatem intrabit.

Sed dicunt aliqui hoc non contingere, quia peccatum veniale mereatur carentiam illius visionis, sed quia illa visio cum tali peccato incompatibilis sit, sicuti existens in peccato mortali habere non potest amorem Dei, non quia peccatum mereatur huius amoris carentiam, sed quia cum amore habet incompatibilitatem. Ita similiter videtur dicendum de peccato veniali, non mereri quidem carentiam diuinæ visionis, sed cum illa esse incompatible. Quod autem non videtur mereri carentiam diuinæ visionis, etiam pro determinato tempore, inde probatur, quia peccatum veniale non meretur etiam pro breui tempore priuationem gratiæ, & iustitiæ, quæ est semen gloriæ, seu ius ad gloriam. Ergo neque etiam potest mereri ipsam gloriæ priuationem.

Alij vero dicunt, & mihi verius apparet, peccatum veniale mereri priuationem gloriæ, & visionis diuinæ pro aliquo determinato tempore. Quia ideo Deus negat gloriam existentem in peccato veniali, quia se indignum illa constituit. Item talis negatio gloriæ à Deo facta, poena est delinquentis venienter, & est poena iusta. Ergo venialiter peccans poenam hanc meretur, alias iniuste Deus gloriam negaret. Adde peccatum veniale mereri poenam aliquam in purgatorio. Ergo meretur carere diuina visione toto tempore, quo necessario fuerit ad illam poenam subeundam, quia illa poena cum visione diuina esse non potest.

Et quibus rationibus patet solutio rationis oppositæ sententiæ; carentiam enim diuinæ visionis non inferri peccatum veniale ex incompatibilitate utrunque quam cum visione habet, sed ex incompatibilitate meritoria, id est quod huiusmodi carentiam inferri Deus in poenam illius. Carentia autem diuinæ visionis, cum aliquis Deum odio habet, non inferri à Deo, sed ab ipso peccatore habetur: eaque de causa non potest esse propriè eterna, quia illud quod debet habere rationem præmij, vel poenæ, ab alio ab ipso merente, debet principaliter effici.

Ad replicam de merito priuationis gratiæ pro aliquo tempore, dicimus peccatum veniale non mereri priuationem gratiæ, mereri tamen dispositionem illius, quod sufficit, ut gloria non data, sed danda mereatur, pro aliquo determinato tempore carere: facilius enim re indignum facis beneficio acquirendo, quam adquisitio peccatum enim veniale non priuat gloria habitam, sed impedit habendam ob status excellentiam, & perfectionem: ac non priuat gratia habitam, neque habendam in hac vita ob statum multis imperfectionibus abundantem.

3 Sed obicitur. Carentia diuinæ visionis ob aliquid breue tempus est maius malum, quam poena æterna sensus, eo quod prius maiori bono: sed peccatum veniale huiusmodi poenam sensus non meretur. Ergo neque illam.

Respondeo primò, carentiam diuinæ visionis iam habitæ esse maius malum, concedo: carentiam diuinæ visionis, seu retardationem illius, nego.

2 Secundo respondeo cum Sala tract. 13, disp. 16, sect. 8, num. 27, negandum absolute assumptum, non enim carentia diuinæ visionis ob breuissimum tempus est maius malum passione longissima, seu æterna tormentorum inferni, aliis magis putaretur anima per breuissimam retardationem visionis, quam

per grauissima tormenta, quæ in hac vita, vel in alia pati posset, cum decedens in peccato mortali, & veniali, ob solum peccatum veniale posset puniri poena sensus æterna, quantumcumque æterna, quia carentia diuinæ visionis non punitur, cum hæc peccato mortali correspondeat. Quæ omnia, & alia, quæ adducit Sala supra num. 23, concedi non debent.

4 Rursus peccata alia sunt ex genere suo mortalia, alia venialia, alia vero per accidens mortalia, alia ex accidenti venialia. Ex genere suo peccatum mortale est homicidium, adulterium, furtum, falsum testimonium, & similia. Ex genere suo veniale dicitur otiosum verbum, inanis gloria, impatientia laborum, & similia: hæc tamen, quæ ex genere suo sunt mortalia fieri possunt venialia, tum ex imperfecta deliberatione, tum ex parate materia, si enim in homicidium, adulterium, vel furtum semiplena deliberatione consentias, carebis mortali culpa. Item si consentias in furtum non in magna quantitate, sed leui, & in falsum testimonium non graue, sed leue, peccatum veniale solum committes. E contra vero, quæ ex genere sunt venialia, fieri possunt mortalia ex accidenti, si occasio fiat, & periculum vel tibi, vel alteri grauioris culpæ committenda. Neque in his potest esse inter Doctores dissentio, sed indigent explanatione.

PUNCTUM VI.

An peccatum ex genere suo mortale, fieri possit veniale ex defectu plenæ libertatis.

- 1 Aliqua supponuntur.
- 2 Negans aliqui peccatum mortale ex se fieri posse veniale ex defectu plenæ deliberationis.
- 3 Sententia affirmans defenditur.
- 4 Satisfit contrariis.
- 5 Quæ sunt iudicia plenæ, vel semiplenæ deliberationis.

1 **T**Radatur de conscientia disp. 2, punct. 2, num. 6, probatur ad peccatum mortale sufficere, si aduersus malitiam in communi, etiam non distinguas, an mortalis, vel venialis sit. Item hanc malitiam mortalem potes dupliciter cognoscere. Primò clarè, & distinctè; secundo confusè, & quasi densis tenebris obolutam. Quando clarè, & distinctè cognoscis, valèque perfectè voluntatem ad eius prosecutionem prohibere, dicitur plenè liber: quando autem confusè, ut contingit, quando non es integrè à somno excitatus, vel es semiebtus, vel aliò distractus, tunc dicitur imperfectè liber: ita Navarr. summ. prelu. 9. Thomas Sanchez lib. 1, cap. 1, num. 10. Valquez 1. 2, d. 1, 27, ar. 4, num. 11. Bonacium disp. 2, de peccato, quæst. 2, p. 3, num. 2, & alij.

2 Dubium autem est, an hæc imperfecta libertas peccatum, quod aliàs mortale esset, reddat veniale? Sunt aliqui, inter quos est Ioan. Sanchez in suis disput. select. disp. 18, qui maxime inclinat non posse dari peccatum veniale ex semiplena deliberatione, sed necessario esse mortale, vel nullum esse. Muenitur primò, quia Deus non imponit sua precepta semihominibus, sed hominibus integris, & iustis facultatum domino. Ergo dum non integrè dominus iuratum adiutorum, non videtur à Deo obligatus. Secundo committens futurum, vel adulterium ex semiplena deliberatione, vel potuit plerè deliberare, vel non: si non potuit, non videtur peccare; si potuit, iam est in culpa. Tertio, si semiplena aduertentia potest peccatum, quod aliàs erat mortale, excusatur à mortali, & facere veniale. Ergo poterit si circa veniale peccatum feratur excusare ab illo: v. p. si iocolum verbum, vel leue futurum ex semiplena aduertentia simpliciter excusabit e à peccato, aliàs semiplena deliberatio fauorabilior erit peccato mortali, quam veniali, siquidem à mortali excusatur, & non à veniali. Quarto, non satis explicatur, in quo consistat hæc semiplena aduertentia in peccato: non enim consistere potest in difficultate cessandi à peccato; nam cum maxima difficultate cessandi à peccato, stare potest plena libertas, ut patet in homine male inclinato: neque etiam consistere potest in remissa cognitione, seu aduertentia obiecti, nam in gradu quantumcumque remisso dari potest cognitio sufficiens reddere voluntatem plenè liberam. Ergo non est in quo hæc semiplena aduertentia consistere possit.

3 Nihilominus certa omnium sententia, omniumque Doctorem autoritate confirmata, (à quibus Ioan. Sanchez non ausus fuit recedere, etiam animam manifestauerit,) affirmat ex semiplena deliberatione reddi peccatum aliàs mortale, veniale. Ratio est clara, nam qui semiplena libertate in peccatum consentit, liberè consentit. Ergo peccat. Quod vero non peccet mortaliter, inde colligitur: quia peccatum mortale diuinam amicitiam dissoluit, & hominem æternis cruciatibus destituit. At non æquum ob actum semiplerè liberum ita grauius hominem punire. Ergo signum est non esse in illo malitiam mortalem. Item ad rationem peccati requiritur liber consentire. Ergo